

non satiamur, pendentis titulo inscripsisse, ut *APELLES FACIEBAT* aut *POLYCLITUS*, tamquam inchoata semper arte et imperfecta, ut contra iudiciorum uarietates superesset artifici regressus ad ueniam uelut emendaturo quicquid desideraretur, si non esset interceptus. Quare plenum uerecundiae illud, quod omnia opera tamquam nouissima inscribere et tamquam singulis fato adempti. Tria non amplius, ut opinor, absolute traduntur inscripta *ILLE FECIT*, quae suis locis reddam. Quo apparuit summam artis securitatem auctori placuisse, et ob id magna inuidia fuere omnia ea. 27

Ego plane meis adici posse multa confiteor, nec his solis, sed et omnibus quos edidi, ut obiter caueam istos *Homeromastigas* (ita enim uerius dixerim), quoniam audio et *Stoicos* et *dialecticos Epicureosque* (nam de grammaticis semper expectaui) parturire aduersus libellos, quos de *Grammatica* edidi, et subinde abortus facere iam decem annis, cum celerius etiam elephantis pariant. Ceu uero nesciam aduersus *Theophrastum*, hominem in eloquentia tantum, ut nomen diuinum inde inuenerit, scripsisse etiam feminam, et prouerbum inde natum suspendio arborem eligendi. 28 29